

est potius debitorem. Hac igitur pia consideratione inducte attendentes laudabilem religionem et honestatem Mathei venerabilis abbatis et conventus sacri monasterii beati Iohannis de Flore, considerantes etiam damnum et combustionem, quam idem monasterium in omnibus hedi-
ficiis suis sustinuit hiis diebus, pro salute magnifici Romanorum et Sici-
lie regis semper augusti carissimi viri nostri et nostra et pro restauratio-
ne ipsius de consueta nostre munificentiae gratia perpetuo concedimus
et donamus eidem sacro monasterio libere et sine servitio totam cultu-
ram demanii, que est in tenimento Gerentie prope flumen, quod dicitur
Lesa, et vocatur Mardati, iuxta viam, que venit Gerentia et iuxta terram
filiorum Iohannis Stephanitii cum arboribus, utilitatibus et omnibus
iustis tenementis et pertinentiis suis et cum terminis et finaitis assignatis
eidem monasterio a Stefano comite Cutroni fideli nostro; que cultura
dicitur esse sufficiens ad duo aratra, statuantes et presentis privilegii auc-
toritate mandantes, ut idem monasterium iamdictam culturam cum
omnibus supradictis libere teneat et quiete ad perpetuam utilitatem et
commodum suum et nullus sit, qui ipsum exinde molestare vel impedi-
re presumat. Ad huius autem concessionis et donationis nostre memo-
riam et inviolabile firmamentum presens privilegium per manus Nico-
lai de Petralia notarii et fidelis nostri scribi et maiestatis nostre sigillo
precepimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in civitate Messane, anno dominice incarnationis millesimo
ducentesimo quinto decimo, mense ianuarii, tertie indictionis, regni
vero domini nostri Frederici magnifici Romanorum regis semper augu-
sti anno tertio, regni vero Sicilie anno septimo decimo, regni autem
domini Henrici filii eius illustrissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et
principatus Capue anno tertio, feliciter amen.

VII.

*Königin Konstanze bestätigt dem Abt Matthäus und dem Kloster S. Gio-
vanni in Fiore Lebensbesitz in der Stadt und im Gebiet von Cerenzia
sowie in Caccuri, den vormals Rogerius Sarracenus innehatte.*

1216 Juni, Catania

Matera, Biblioteca Provinciale, Ms. 21/II (Venusio II), fol. 55^{r-v} (M).

Druck: –

*Regesten: Baraut, S. 247 Nr. 6 („privilegia imperatorum et regum“);
BZ 781 (ohne Monats- und Ortsangabe).*